



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. IV. Exploditur secundus error Calvinii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

- 163 Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Deus per suam causalitatem id solum potest attingere, quod continetur intra objectum formale suæ omnipotentiae: Atqui peccatum, quantum ad formale, & malitiam quam importat, non continetur intra objectum divinæ omnipotentiae: Ergo non potest attingi à Deo per suam causalitatem. Major est evidens, Minor probatur. Id solum continetur intra objectum divinæ omnipotentiae, quod est ordinabile in Deum tanquam in ultimum finem, nam primum agens, & ultimus finis, inter se convertuntur: Atqui peccatum, quantum ad formale, non est ordinabile in Deum tanquam in ultimum finem, sed potius est recessus & deviatio ab illo tanquam à fine ultimo: Ergo peccatum, quantum ad formale, non potest causari à Deo.
- 164 Dices, Formale peccati, secundum communiorum Thomistarum sententiam, consistit in positivo: Sed omne positivum causatur à Deo, cum sit creator omnium visibilium & invisibilium, ut in primo Symboli articulo profitemur: Ergo formale peccati causatur à Deo.
- 165 Huc argumento, relictis variis solutionibus, breviter respondeo, distinguendo Majorem. Formale peccati consistit in positivo, quæ positivum est, nego Majorem: quæ deficiens est, & prout in obliquo connotat privationem rectitudinis, seu conformitatis cum regulis bonorum, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: omne positivum causatur à Deo, quæ positivum est, concedo Minorem: quæ deficiens est, & prout connotat in obliquo privationem rectitudinis, nego Minorem, & Consequentiam.
- 166 Explicatur breviter hæc responsio. Licet juxta communiorum Thomistarum sententiam, formale peccati consistat in positivo, illud tamen non habet rationem mali moralis, nisi quatenus connotat privationem rectitudinis, & conformitatis cum lege; non quod talis privatio intrinsecè & in recto importetur in formali constitutivo peccati, ut quidam volunt; sed tantum extrinsecè, & in obliquo, eoque ferè modo quo docent Philosophi in Metaphysica, carentiam divisionis importari in unitate transcendentali. Sicut ergo ad hoc, ut aliquid sit unum transcendentaliter, non sufficit quod participet rationem entis, sed præterea debet extrinsecè, & in obliquo connotare carentiam divisionis; ita etiam ut aliquid censeatur esse causa peccati, non sufficit quod causet totum positivum quod in illo includitur, sed præterea debet causare privationem illam rectitudinis quam connotat in obliquo, sive potius illud positivum, quatenus fundat & connotat talem privationem. Unde cum Deus sub hac ratione non causet positivum illud per quod formale peccati constituitur, sed solum sub ea ratione quæ positivum est, & quatenus transcendentaliter imbibit rationem entis & boni, non est, nec potest dici author, vel causa peccati, quantum ad formale per quod constituitur.
- 167 Dico secundò: Deum non causare materiale peccati, fundamentaliter sumptum, & quatenus reduplicativè fundat ipsam malitiam & deformitatem. Probatur: Materiale peccati, quatenus tale, & prout fundat ipsam malitiam & deformitatem, est initiative, & causaliter malum, & minimè ordinabile in Deum ut ultimum finem: sic enim pertinet reductivè & initiative ad lineam mali moralis, sicut fundamentum relationis formaliter & reduplicativè sumptum, reducitur ad lineam relativorum, ut in tertio notabili exposuimus: Ergo sub hac ratione non causatur à Deo, sed à voluntate creata deficiente.
- Adde quod, agens attingens fundamentum malitiae, quæ tale, causat secundariò & consequenter ipsam malitiam: sicut ille qui ponit fundamentum relationis, quæ tale, causat etiam consequenter ipsam relationem; quæ ad illius positionem resultat, & sicut ille qui alicuiusmodi vulnus ex quo mors sequitur, censeatur esse causa mortis illius: Ergo cum Deus non sit, nec possit esse causa malitiae & deformitatis peccati, non potest etiam fundamentum ejus, formaliter quæ tale, causare.

## S. IV.

## Exploditur secundus error Calvini.

**D**ico tertio, Deum non movere moraliter voluntatem ad materiale peccati, per consilium, præceptum, suasionem, vel inspirationem. Est etiam contra Calvinum, qui (ut supra vidimus) docet Deum positivè tentare homines ad peccandum, & ad eos tentandos ut operi Dæmonum, eisque præcipere ut homines tentent, & ad peccatum inducant. Addit tamen, Deum hoc faciendo, non peccare, neque denominari peccantem: tum quia legi non est subiectus: tum etiam quia id præstat optimo consilio, ut scilicet ad finem operibus suis præfixum (gloria scilicet suæ ampliationem) perveniat.

Probatur primò conclusio ex Scriptura: dicitur enim Jacobi. *Deus intentator malorum, ipse autem neminem tentat.* Et Ecclesiastici. *Ne dixeris, ille me implanavit: Tentaret autem nos Deus, & implanaret, si ad actus se malos, consilio, suasionem, vel præcepto induceret: Ergo &c.*

Probatur secundò conclusio: Motio moralis, quæ aliquis inducit alium ad actionem aliquam exercendam, movet ipsum ad hujusmodi actionem, secundum quod ab ipso procedit: Sed Deus non potest movere voluntatem creatam ad materiale peccati, secundum omnem modum quo procedit à voluntate creata: Ergo nec ad illud, eam movere moraliter. Major patet, quia cum motio moralis non habeat physicam efficientiam in actionem, non aliud præstare potest, quam invitare agens ad utendum sua virtute, & modo proprio operandi: in quo differat a motione physica, quæ cum habeat influxum physicum, attingit in actione id quod est intra sphaeram suæ activitatis tantum. Minor verò probatur: Si Deus moveret voluntatem ad materiale peccati, eo modo absolute quo ab ipsa procedit, moveret ad illud, formaliter quatenus est fundamentum malitiae, eamque haberet annexam; sicque moveret ad ipsam malitiam consequenter.

Confirmatur: Motio moralis pertinet ad Deum ut ad motorem & provisorum specialem, nec præcindit à malitia morali, sed ad illam se extendit, ut exposuimus in quarto & quinto notabili: Atqui repugnat quod materiale peccati sit à Deo ut motore & provisoro speciali, quatenus possit procedere ab illo, ut prima causa & generali motore ac provisoro, subministrante omnibus causis secundis media necessaria ad agendum, & attingente in omnibus rebus creatis entitatem, actualitatem, vitalitatem, & bonitatem tran-

transcendentem, aliasque rationes, ad ordinem physicum, & lineam entis pertinentes, ut infra dicemus: Ergo quamvis Deus possit movere physice voluntatem ad materiale peccati materialiter sumptum, non tamen potest eam materialiter ad illud movere, per consilium, præceptum, suasionem, inspirationem &c.

Ex quo intelliges, quod cum in sacra Scriptura & egiptum 16. dicitur, quod Dominus præcepit. *Sermon autem malitiosus dicitur David: præceptum tibi sumitur per permissionem.* Sicut quando Deus dicitur in peccatum dare aut excusare, idem est ac si diceretur, permittere excusationem, aut inculpationem. Item cum Christus Joan. 15. Judæ ante traditionem dicitur dicitur, *quod facis, fac citius, non præcepit illi immane sacrilegium proditorium, & venditionis.* Nam secundum aliquos, illud imperativum continet exprobrationem, quod quod animo conceperat Judas. Secundum alios, non præcipit actum ipsum, sed acceptationem: non enim (inquunt) est malum inchoare aliquem præcepto aut consilio, & exequendum congruo tempore peccatum quod est peccatum committere, ut possit ex eo sumi occasio boni. Secundum alios præcipit separationem ab aliis Apollolis, non verò venditionem ipsam: unde subdit, *& exi vit continuò.* Denique juxta alios, solum significat permissionem. Ita D. Thomas super illum locum, & D. Augustinus Tractatu 61. in Joannem.

Similiter dum Marth. 5. dicitur: *Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* non significatur odium inimicorum fuisse aliquando in antiqua lege præceptum (quidquid in contrarium dicat Maldonatus) quia aliis vitari non posset, quin Deus esset causa mali, cum ipse veterem legem condiderit, & eam per Moysen ministerium populo tradidit. Significatur ergo solum, fuisse deductum à Judæis, odio habendos esse universaliter inimicos, ex eo quod Deus illis præceperat ut amicos diligerent, & Gentes, & quasdam tanquam inimicas persequerentur, & perderent. Unde idem est ac si diceretur: *Audistis quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum (& per malam consequentiam Phariseorum deductum)* Et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.

§. V.

Referuntur Theologorum sententia, & prima rejicitur.

Rejctis hæreticorum erroribus, quid Catholicis circa propositam difficultatem sentiant, breviter declarandum est, & verior, ac probabilior sententia eligenda.

Prima ergo opinio docet Deum non concurrere positivè, sed tantum permisivè ad materiale peccati. Ita olim docuere quidam antiqui Theologi relati, à D. Thoma in 1. dist. 37. quæst. 2. art. 2. & ab Alberto Magno ibidem dist. 35. art. 7. Hos postea secuti sunt Aureolus & Durandus, qui immediatum Dei concursum ad operationes causarum secundarum sustulerunt. In eandem sententiam inclinare videntur quidam Recentiores, quos citat, & sequitur Salas 1. 2. titulo 13. disp. 10. sect. 1. qui negant actum peccati, etiam pro materiali: acceptum, & quantum ad id quod habet entitatis, & actualitatis, positivè cadere sub divina providentia, licet cadunt alii effectus naturales.

Tom. I.

Secunda opinio admittit quidem Deum ad materiale peccati positivè concurrere, docet tamen hunc concursum non esse prævium, & determinantem, sed simultaneum, ac differentem, & à voluntate creata ad speciem actus determinari, licet eam ad individuum determinet. Existimant enim Authores hujus sententiæ, quod si Deus prævio concursu in materiale peccati influeret, attingeret etiam (secundariò saltem & indirectè) malitiam & deformitatem illi annexam, & consequenter esset author & causa peccati: quod est incidere in errorem Calvinii, jam impugnatum, & divinæ sanctitatis (ut ajunt) famam deterere. Ita docent Molina, Suarez, Lessius, & alii Recentiores communiter.

Tertia sententia, quæ in Schola D. Thomæ communis est, & quam, ut infra ostendemus, aperte profitetur ipse Angelicus Doctor, ejuoque Magister Albertus magnus, existimat dignitatem primæ causæ, primi principii, & primi momenti (quæ in Deo nihil nobilioris, & præstantius est) non posse salvari per concursum purè simultaneum & indifferentem, à voluntate creata determinabilem, sed tantum per concursum prævium, & prioritatem naturæ & causalitatis, determinationem liberi arbitrii antecedentem. Unde cum sine præjudicio fidei negari non possit, Deum esse primam causam, & primum principium illius entitatis, actualitatis, & bonitatis transcendentalis, quæ in materiali peccati imbibitur (alioquin admittenda essent plura rerum prima principia, quod est in Manichæorum hæresim incidere, & primo Symboli nostræ fidei articulo, quo Deum creatorem & factorem omnium visibilibus & invisibilibus profitemur, contradicere) consequenter docent, Deum in materiale peccati materialiter sumptum, & in actus peccatorum, quatenus actus & entia sunt, non solum simultaneo, sed etiam prævio concursu influere, & voluntatem creatam ad producendam entitatem, actualitatem, & alias rationes ad ordinem physicum, & lineam entis pertinentes, prædeterminare, & applicare. Quia tamen concursus ille præcisivus est, & sistit intra ordinem physicum, & formalitates tantum ad illum ordinem spectantes attingit, Deus non est, nec potest dici causa peccati, nec divinæ sanctitati ullum inferat præjudicium. Hanc sententiam sic explicatam testatur Dominicus Soto in libris de natura & gratia in Concilio Tridentino editis, & à Legatis ipsius Concilii approbatis, fuisse ab omnibus Theologis sui temporis unanimi consensu receptam. Nam lib. 1. cap. 18. circa finem, sic habet: *Haud equidem dissentient Theologi, entitatis (ita vocant) quæ est peccatum, Deum esse causam, eo efficiencia genere, quo cuncta & animantia & inanimata, ad suas naturales actiones permover.*

Dico ergo primò, Deum non solum permisivè, sed etiam positivè, concurrere ad actum peccati, quatenus est ens, & actus physicus & vitalis. Ita communiter Theologum D. Thoma 1. 2. quæst. 79. art. 2. & in 2. sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. ubi sententiam oppositam, asserentem peccatum, sub ratione entis & actus, non esse à Deo (quam ipse tempore tenebant quidam Theologi) dicit esse propinquissimam duplici errori. Et Albertus magnus ibidem dist. 35. art. 7. inquit quod hæc opinio quæ obtinuit, plures antiquorum, ferè cecit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica. Idem docet D. Anselmus lib. de concordia præscientiæ & prædestinationis cap. 7. ubi

Vuu 2

7. ubi